Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



desiderio eius. Nunciauerunt autem omnia que uiderant presidi. Preses uero iussit ad tribunal suum paulum adduci. Cum autem paulus duceretur ad tribunal remansit tecla in carcere. et in loco uero paulus dominum orauerat et ipsa cum lacrimis se in orationem dedit. Et cum ibidem oraret audiens preses iussit eam cum omni festinatione celeriter adduci. Que statim egressa est cum gaudio. Interea omnes ad tribunal clamabant dicentes: Tolle magum tolle maleficum. Et preses libenter audiebat paulum iuxta uerba eius. Cumque tecla adducta fuisset ante presidem preses dixit. Quare noluisti nubere thamiro sponso tuo secundum legem yconiorum. Et tecla stabat paulum attendens. Tunc theoclia mater eius clamabat dicens. Combure sacrilegam. combure scelestam in medio theatro. ut cetere uirgines metum habeant. His clamoribus indignatus preses iussit paulum flagellis cesum extra ciuitatem proici. tecla uero dampnauit uiuam comburi. Et confestim preses sartaginem adiit et abiit in theatrum. et turbe secute sunt eum ad crudele spectaculum. Tecla uero sicut agnus pastorem suum circumspiciens in deserto. sic et illa querebat paulum.

Et cum respiceret turbas uidit lumen in effigie pauli. Et tecla dixit quia non possum sufferre. Et dum intendit in eum uidit quomodo in celum ferebatur. et intendit tecla quod uidisset. Et ecce pueri et puelle attulerunt ligna et sarmenta. ut cremaretur tecla. Et inducta est nuda. Et lacrimatus est preses de patientia et de uirginitate eius. Et compositis lignis urgebant eam publice ascendere super piram. At illa extensis manibus ascendit super ligna. et publice ignem supposuerunt. Et surrexit flamma ingens in circuitu. et in medio non tangebat eam. Deus enim miserat ei angelum suum secundum fidem eius. Et ecce subito sonus sub terra factus est. et nubes aqua plena obumbrauit theatrum. et tantum effudit grandinem ut turbe expectantium morerentur. et tecla integra liberaretur. Paulus autem erat cum onesifero et uxore et filiis eius in munito loco. qui erat super uiam que ducit ab yconio in listris. Et cum dies complures essent ab yconio pueri dixerunt paulo. Esurimus nec habemus quod manducemus. Non enim habebant unde emerent panem. quoniam onesiferus relinquens omnia secutus fuerat paulum. Tunc paulus sumens pallium suum dedit puero dicens. Vade et eme panes. Et ecce respiciens puer et uidens tecla uicinam suam dixit ad eam. Vbi uadis. Tecla respondit. Paulum quero liberata ab igne. Puer dixit. Veni mecum. et ducam te ad eum. Valde enim ingemiscit propter te et rogat dominum ut liberet te ab insidiatoribus tuis. Et cum uenisset ad monumentum inuenit paulum genibus positis orantem et dicentem. Pater ihesu xpi mitte angelum tuum in auxilium famule tue tecle. sicut misisti auxilium tuum pueris tuis sydrac mysac et abdenago. et liberasti eos de medio flamme fornacis illesos. ut cognoscant omnes gentes quia tu es deus.

fol. 99'